

pinatur leporina vel pulverisata, vel sub formâ Essentia vel saltem assata & comesta. Aliàs in sterilitate fuerunt HARTMANNI secretum testiculi cervæ, vel ex istis præparata Essentia. Officulum TALI der Hasensprugge commendatur in inflatione stomachi & in Colicâ. AXUNGIA leporina mirè convenit in extrahendis spiculis, frustis lignorum, globulis, aliisque partibus heterogeneis ex vulneribus, in quo usu egregia est axungia leporis. Deinde in Herniosis applicatur axungia leporina illita corio spinae dorsi, vel sola vel mista cum axungia ursina, & sic adjuvat retentionem & repositionem intestinorum prolapsorum. In Exterocele, uti dico, seu hernia intestinali valde solet extrahere intestina & convenire. PILI dicit AUCTOR, linimentis sanguinem sistentibus miscentur. Hinc adeò fuit famosum GALENI unguentum ex aloë, Myrrha, Thure & pilis leporis combustis aâ, quod in specie commendatur ad hæmorrhagiam in arterio-tomia, quæ aliàs difficulter potest sisti propter sanguinis impetuosum nimis affluxum.

## LVPVS.

Cujus dentes, uti notum est, argento inclusi dentur infantibus pro fricandis gingivis, ut facilitetur eruptio dentium, vid. AUCTOR. Ex Epate lupi fit Electuarium Neapolitanum ad curationem morbi Gallici, cujus descriptionem habet BARTHOLETUS in Encyclopadia pag. 167. Quod convenit post morbum Gallicum ad excitandam appetentiam & corroborandum ventriculum. Epar lupi ad ʒj. in aqua appropriata propinatum commendatur in Scirrho lienis. INTESTINA lupi, uti etiam ejus STERCUS mirè conveniunt in curâ passionis Colicæ, universali auctorum consensu, datur stercus ad ʒj. vel etiam intestina ad ʒj. propinata Colicam mirificè sedant, de quo vid. SENNERTVS lib. 3. prax. pag. 260. uti & HARTMANNVS in Praxi Chimiatica pag. 154. & hoc confirmat per experientiâ FORESTVS lib. 21. obs. 15. uti etiam AMATVS LVSITANVS Cent. 3. Cura 12. RIVERIVS Cent. 1. obs. 58. & 86. Item obs. 2. communicata ipsi à Bacheco. In specie tamen videatur PANAROLLVS pent. 3. obs. 36. quod stercus lupi ad quacunque Colicam ex quacunque causa universaliter obortam mirè commendat, & dicit, se quosdam etiam desperatos Colicos hoc stercore curasse. Sunt, qui faciunt ex intestinis torum seu cingulam, quo circumdant abdomen & lumbos pro curâ Colicæ. Sæpius fit, ut in stercore lupino reperiantur officula, quæ propter duritiem subterfugiant concoctionem, hujusmodi officula pulverisata, præ stercore reliquis & cæteris, cum successu in Colicâ propinantur & commendantur. Dicunt quoque, si stercus lupi inferatur ovili, quod exinde admodum trepidant oves. Pellis lupi ad dolorem Colicum multum commendatur ab auctoribus. Dicunt etiam, quod pellis lupi pro veste gestata procreet audacem animum; de quo vid. BRVSSVS in operibus medicis Epist. 24. FABER in Myrothecio Spagy. habet Q. E. Lupi, quam multum commendat externè in ulceribus malignis.

## LYNX.

Arò vel nunquam præscribitur, propterea nihil habeo, quod de illo dicam, pergo ergo ad

## MOSCHUM seu MOSCHI CAPREOLUS.

Moschus est animal instar cujusdam Capræ: de quo vulgò refertur, quod circa umbilicum gester vomicam vel abscessum, qui certò tempore apertus promat liquorem pretiosum, quem dicimus Moschum: hæc est vulgaris & communis traditio. Mihi verò magis aridet plurimorum experientia magis conveniens, qui dicunt, esse eandem materiam animalis Moschi & Zibethi, & ex natura seu materia Zibethi deveniamus in cognitionem Moschi: adeò ut dicendum sit, sicut Zibethum non est ex Apostemate seu Vomica, ita nec Moschus. Quare Moschus similiter habebit pelliculâ naturalem seu folliculum, in quo colligatur & contineatur liquor Moschus. vid. IONSTORVS hist. animalium cap. 7. de Castorep. 127. & 225. EICHSTACHIVS tr. de Confect. Alkermes. cap. 13. Unde legitimus est Moschus, qui reperitur in receptaculo à natura destinata: Præterea totum animal est moschus seu moschiferum: nempe non tantum ex testiculis animalium horum potest colligi præstantissimū moschi genus, sed animal captum fustibus probè contusum & interfectum, ut in toto corpore sit sanguis suffusus, ut jam incipiat putrescere, omnis tamen sanguis suffusus similem dat odorem moscho, & hic est moschus adulteratus, qui ad nos solet adferri pro legitimo, ut ille sit legitimus, qui ex folliculo ad umbilicum sito colligitur. Hic quaeritur, unde nam oriatur odor moschi? ad hoc dicunt oriri ex plantis suaveolentibus & odoriferis, quibus vescuntur animalia. Quæ de adulteratione & generatione dixi, probè observentur. Fit, ut moschus longo tempore amittat odorem, quem tamen recuperat, si irroretur cum urina pueri, vel si suspendatur in latrina humana: Et moschus potest multiplicari mixtione ejus cum sanguine humano, ut spiret cum moscho sanguis odorem moschi. Unde solet interdum adulterari Moschus cum sanguine columbino, additis quibusdam aromatis. Præter Moschum animal sunt etiam animalia, quæ rejiciunt excrementa Moschi odorem spirantia: RHODIVS Cent. 3. obs. 206. refert, quod reperiantur interdum recrementa quarundam serpentum, quæ & ipsi moschi odorem fundant. BARTHOL. Cent. 6. hist. 52. habet elegantem historiam de odore Moschato recrementorum piscis, Crocodili & hominis & hist. 86. refert nonnulla de odore Moschato Vri (des Ur. Obsens) pilorum. Vulgò commendatur Moschus, quod sit egregium Cardiacum, quod valdè potè refocillet & restauret, quodque ejus odor conveniat in arcenda peste. De quo imprimis vid. ZACVIVS LVSITANVS lib. 1. Med. Princip. hist. 10. Uti etiam TERENCEVS de rebus Indicis ac Mexicanis, & similiter omnes serè auctores consentiunt, quod Moschus egregiarum sit facultatum ac virtutum in malignis, imprimis in corroborando corde. Hic tamen non sine ratione contradicit GVIBERTIVS in Medico officioso pag. 212. qui